

tentæ esse debent, intelligentes essent, inviderent ne iis quæ in vallibus lascivientes uno altero mense saginantur ad macellum? Non opinor.

V. Cogitent infelicem, quem communiter sortiuntur felices, exitum. Et hunc potissimum considerandum esse volunt sancti illi, quos initio diximus, uti Job, cum, descripta impiorum prosperitate, subjicit: *Ducunt in bonis dies suos, et in puncto ad inferna descendunt*: David vero: *Intelligam in novissimis eorum*: Jeremias similiter cum eorundem prosperitatem demiratus esset, subdit: *Congrega eos quasi gregem ad victimam, et sanctifica eos in die occisionis*. Hæc una consideratio sufficere debet, ut omnem impiorum prosperitatem aversemur, eorumque vitam et mores detestantes, ad eorundem interitum potius oculos figamus. Videmus sæpe nubes et terra elevari, in sublime ferri, radiare, tumere, tonare, fulgurare, non illis invidemus: scimus enim brevi vel a vento pellen- das ac dispergendas aut in aquas, ac denique in lutum resolvendas, nostrisque pedibus calcandas. Impii quasi nubes in altum efferuntur per prosperitatem. Unde Job, c. XX. ait Sopbar: *Gaudium hypocritæ ad instar puncti: si ascenderit usque ad caelum superbia ejus, et caput ejus nubes tetigerit, quasi sterquilinum in fine pedetur, et qui eum viderant, dicent: Ubi est?* Quis invideat navi, quantumque licet divitiis onustæ et deliciis circumfluenti, dum videt eam vehementi ventorum impetu deferri in medios scopulos ad certum naufragium? Erat hujusmodi navis, quam describit Plutarchus, in Antonio, per Cydnum Cleopatram vehementem, aurata puppi, velis, passis purpureis, remigio argenteis ducto remis ad tibiaram, fistularum et cithararum modos, etc. Similem navim opulentæ illius fastuosæ Tyri describit ad longum Ezechiel, c. XXVII. Tyrus enim in mari sita, instar navis quasi natare in gloria et opibus suis videbatur; cui prædicit exterminium Ezechiel a Chaldæis inferendum: *In aquis multis, inquit, adduxerunt te remiges tui, h. e. gubernatores tui ad magnam gloriam te pervexerunt: Ventus auster contrivit te in corde mores*. Auster est ventus calidus et suavis a meridie et dextera mundi regione veniens; unde prosperitatem denotat, quæ sane perdidit Tyrum, dum in altum vitiorum deduxit. Unde et Nabuchodonosor ab australi parte, videlicet ab expugnata Jerusalem, venit Tyrum ad ejus vastationem. Fuit sane hujusmodi rostrata navis Emmanuelis Rosæ cognomine Sepuluedæ, qui nomine regis Lusitani in India arci Diensi præfuerat, summa felicitate ac dignitate diu perfruitus, quam pressam impletamque divitiis cum conjugæ, liberis, et familia Cocini rediturus in Lusitaniam, inscendit: sed circa Bonæ Spei pro-

montorium naufragio cum omnibus rebus perdidit, in littus cum suis magna difficultate ejectus, ubi Æthiopum reguli jussu (ut refert Maffei lib. XVI. hist. Ind.) non solum exarmati, sed etiam vestibus spoliati in sabulo nudi, et omni auxilio rebusque necessariis orbat, et fame, atque siti in arida regione fere enecti essent metu ac pudore confusis, qui ex infelici naufragio restabant, atque a tanta rerum vicissitudine et indignitate, stupentibus similes avertentibus oculis. Eleonora conjux Sepuluedæ, Græziæ Salæ prætoris Indiæ filia, quum barbaros in detrahendis et exuendis vestibus occupatos, generis, dignitatis ac pudori memor, ultro pugnis colaphisque ad necem suam nequicquam irritasset; huicque castæ matronæ nudæ tristior omni morte lux videretur, et vestigio sese defodit arenæ, et partes corporis, quæ extabant, soluto raptim fusoque obtexit crine. Mox abire, sibi ipsæ consulere jussit supertibus ex infelici comitatu viris, mœstum silentium immobilis tenuit. « Cara tantum intuenti pignora, juges rivi lacrymarum, denso cum gemitu et singultu profluebant. Sepuluedæ item alius mœror ac dolor vocem incluserat, quum defixo intuitu in terram, aliquamdiu attonito, ac stupendi similis astitisset, paterna demum exstimulante cura, proximam in silvam, quærendo qualicumque nutrimento, secedit. Inde regressus Eleonoram conjugem cum triduo jejunio, fletuque pene consumptam, et filioli alterum prorsus, extinctum offendit, cumque suis ipse manibus terræ mandavit. Postridie eodem pabulandi functus officio, conjugem una cum filio exanimem reperit et lamentabili circum vociferatione complorantes ancillas. Hisce confestim summotis, in dexteram jacentis manui aliquamdiu, reclinato capite, incubuit. Dein iisdem adjuvantibus ancillis, cadaver utrumque sepeliit nihil umquam affatus. Postremo sese iterum abdit in silvas, ubi laniatum a feris perant: nunquam deinde comparuit. » Videmus ergo non ad ingressum blandientis fortunæ, sed ad egressum potius et finem convertendos esse oculos. Id quod faciant Dei servi, qui idcirco, Zach. III. *Viri portendentes*, seu ut legunt Septuaginta, *portentorum spectatores* dicuntur. Instar enim astrologorum prædicunt in futurum eclipses fortunarum. Dat se videndam peccatoris felicitas? Mox inde conjiciunt infelicem ejus interitum. Vident forte pauperem a potentiori oppressum aut Lazarum pauperulum ad divitem fores neglectum? Statim hinc divinant ab angelis suscipiendum et deferendum in paradysum. Talis astrologus et somniorum interpretes fuit Josephus, qui quod fratres accusasset de crimine pessimo, odium illorum incurrit; unde per somnia prædixit eis tristia,

sibi vero leta, Gen. XXXVII. Triumphabant illi quidem ad breve tempus sedentes et videntes, dum Joseph in cisterna lugeret. Verum post, mutata fortuna, junerunt illi ad pedes fratris dolentes et lacrymantes. Similem catastrophem sentient in fine boni cum Josepho, mali cum ejus fratribus.

CONCIO V.

MIRA ANDRÆ ET ALIORUM APOSTOLORUM VOCATIO.

I. Respectu Christi vocantis. — II. Respectu eorum qui vocantur, discipulorum. — III. Respectu finis, ad quem vocantur. — IV. Respectu effectus, secuti. — V. Respectu stipendii. — Respectu dignitatis, ad quam evocati.

THEMA.

Venite post me, et faciam vos fieri piscatores hominum. Matth. IV.

Mira quidem fuit vocatio, qua Deus Abrahamum evocavit e patrio solo, ut in alieno peregrinaretur, Genes. XII. Mira quoque Abrahamæ obedientia, qua vocantem mox secutus est. Sed magis adhuc mira fuit vocatio S. Andræ ejusque sociorum in hoc evangelio, magis etiam mira ejus obedientia. Abraham evocatus fuit ex Ur, civitate Chaldæorum gentili: Ur autem ignem significat; (unde II. Esdræ, c. IX. dicitur Abraham eductus de igne) qui, ut videtur, in ea urbe pro Deo colebatur. Andreas cum sociis evocatus est in terram Chanaan, tametsi ignoraret, in qua ejus parte habitandum sibi esset, Andreas omnino nesciit, quorsum a Christo ducendus esset. Abrahamo magna illecebra et merces est proposita: *Faciam te in gentem magnam et benedicam tibi, et magnificabo nomen tuum, erisque benedictus*; verum Andræ et fratri ejus nihil aliud dictum est, nisi id: *Faciam vos fieri piscatores hominum*? Quanto periculo? Qua mercede? Nihil de his dictum: et tamen Andreas cum sociis, mox relictis omnibus, Christum secutus est. Mira est ergo hæc vocatio, mira et obedientia Andræ et sociorum, plusquam Abrahami. Sed plura alia miranda sunt in hac vocatione, uti nunc videbimus.

I. Mira profecto est hæc vocatio premo si spectemus eum qui vocat. Est enim homo pauper, solus circa mare obambulans, qui nihil stipendii aut lucri pollicetur, nec ut videbatur, præstare poterat; cum in alieno territorio degens, nec do-

num quidem propriam haberet. Itaque non nisi ad inopiam, contemptum, verbera et martyria invitabat. Qui servos vult conducere aut conscribere milites, aurum dare vel stipulari debet, vel spe divitis prædæ allicere. Nihil horum habuit, dedit aut promisit Christus, et tamen unico verbo: *Venite post me*, mox acquirit servos, qui relictis omnibus ipsam sequuntur. Nimirum Christus sua luce illustravit mentes illorum, ut intelligerent quantum et quam bonum dominum sequerentur; quomodo sol radiis suis gignit margaritas in conchis. Hæc in maris recessu jacent ad littus: tamen solis radiis in ipsas influentibus aperiantur, et mox concrevit humor crystallinus, unde generantur margaritæ ut scribit Didacus stella, in c. V. Lucæ. Sic discipuli isti simplices, adeoque clausi et ignorantés, reperi a Christo ad littus maris, collustratique ejus radiis, esse aperunt, eumque agnoscere ceperunt; hinc eorum cordibus progata est margarita fidei, spei et amoris divini: Margarita, inquam, illa, quam qui invenit, abicit et vendit omnia aque habuit, et emit eam, relictis enim omnibus secuti sunt Christum. Ad hæc absque dubio per divinam illustrationem cognoverunt mundi vanitatem, et suarum, quas possidebant, facultatum tenuitatem; quas comparatione margaritæ celestis nihili reputarunt. Quomodo enim columba dimissa Noe, cum non invenisset ubi requiesceret pes ejus, reversa est ad arcam, et facile passa est apprehendi se a Noe et inferri in arcam, Genesis VIII. (quod tamen alia non ferunt columbæ): ita et Andreas cum sociis a Christo illustratus, vidit se in mari non tam Tiberiadis, quam insani hujus mundi constitutum, nullibi invenire ubi pedem figeret et salutem reperiret, nisi in hoc uno Noe et consolatore Christo, quem prius jam nosse ceperat. Quare libens statim manum dedit, seque a mari extrahi et collegio ejus inseri permisit. Non ita juvenis ille, qui a Christo vocatus, abicit tristis, Matth. XIX. inhærens possessionibus ac divitiis suis; ad instar illius corvi, qui emissas a Noe, non rediit ad arcam, sed insedit cadaveribus in diluvio natantibus. Viderint hic, qui Dei vocationem audiunt quidem, sed non sequuntur; præsertim qui ad arcam Ecclesiæ catholicæ, in qua una salus reperitur, evocati ab heresi, non accedunt, post tæ argumenta et testimonia fidei.

II. Si spectemus eos qui vocantur. Erant enim piscatores homines rudes, plebei, pauperes, vocati ad hoc Christo, ut mundum ab erroribus ad viam veritatis reducerent, Christoque subicerent. Qui autem mirabilius, quam rudibus piscatoribus velle convincere ignobiles? Divites pe-

pauperes? Armatos per eruditos in omni scientia? Nobiles trahere per incermes? Lupos capere agnis? Totum mundum invertere, et ad Christum ab idolis convertere per homunculos duodecim? Mirandum jure erat quod elegisset Deus Moysen, hominem pastorem in eloquentem, ad subigendum et conterendum Pharaonem regem; sed Moysi cum uno tantum rege negotium erat, apostolis cum toto mundo. Nimirum voluit Deus tales eligere, ut non ipsis sed divinæ virtuti adscribendam, scirent homines, mundi conversionem. Si doctos elegisset, doctrinæ et eloquentiæ eorum; si potentes, armis; si nobiles, favori adscripta illa fuisset. At dum rudes et viles elegit, cui adscribitur nisi Deo, qui Ecclesiam suam non æneis fuloris, non marmoris culumnis sustentare voluit, sed arundinibus piscatoriis? Sic confundere et superare magnos Pharaonis voluit non in grandibus signis, sed in productione sciniphum, Exod. VIII. *Sic arendæ imbecillitate, inquit S. Chrysostomus, hom. IV. in 1. Cor. munit vit mare: sic Platonem non per alium sapientiosem philosophum superavit, sed per indoctum piscatorem.* Porro rudes et indoctos illos discipulos Christus erudit celesti sapientia, non humanitus acquisita, et armavit miraculum potentia; quomodo balbutienti Moysi posuit verba in ore ejus, et armavit eum virga, qua supra humanas vires mira plurima patraret. Et hæc est virga illa, de qua Isaias XI. dicitur: *Percutiet terram virga oris suis. et spiritu labiorum suorum interficiet impium.* Noluit Deus ut David in armis Saulis debellaret Goliathum, ne non Dei assistentiæ, sed Saulis armis victoria adscriberetur, 1. Reg. XVII. sicut observat Chrysostomus, hom. 1. in Ps. L. pari modo noluit ad conversionem mundi adhibere sapientes aut potentes, ne hominibus tribueretur quod Dei opus est.

III. Si spectemus finem, ad quem vocantur videlicet ut fiant piscatores hominum. Difficilis sane et inusitata res est, homines piscari: et quis hoc facile audeat, et qua arte faciat? Aliud est venari, aliud piscari. In venatione coguntur feræ in retiâ, canibus, clamoribus, scopetorum explosione; non item in piscatione, quæ suaviter eingit pisces retibus, aut allicit oblati escis. Piscatores voluit Christus, non venatores: neque terroribus aut cædibus sed sanctis moribus et suavibus doctrinis homines ad fidem trahi. Hoc autem qui efficere poterant piscatores? Phrynonem ducem Atheniensium clarissimum, Pittacus Mytilenæus singulari contendens certamine, reti sub clypeo latenti involvit, atque hoc modo implexum tenuit ac superavit, ut Strabo, I. XIII. Polyænus, lib. 1. referunt. Christus armavit disci-

pulos suos reticulo sermonis in ore ipsorum abscondito; quo in auditores injecto, eos irretierunt atque ceperunt; quemadmodum promiserat eis, Luc. XXVI. *Dabo vobis os et sapientiam, qui non poterunt contradicere omnes adversarii vestri.* Trahit hæc res in admirationem magistratus Judæorum, cum viderent apostolus loqui de rebus divinis, et quidem variis linguis, cum essent homines sine litteris, et idiotæ, ut dicitur Act. IV. qui nimirum non videbant eum, qui ex ipsis loquebatur Spiritum sanctum. Ad hæc piscatores cauti esse debent dum piscantur, ne ipsi in aquas incidentes, pisces fiant et mergantur. Hoc idem agendum erat apostolis, in mundo peccati luto ac sordibus pleno conversandum et circumeundum; ea tamen cautela, ut ipsi nihil sordis contraherent, nec in aquis deliciarum secularium mersi, mundanis similes fierent: quod sane præstiterunt. Unde S. Ambrosius, l. de Isaac, c. IV. ait: «Apostoli fecunditate predicationis suæ, totius orbis terrarum spatia refecerunt, et quamvis in corpore constituti, nulla tamen cursus spiritualis sensere stipendia.»

IV. Si spectemus effectum, qui vocationem hanc secutus est. Totum enim pene orbem tunc habitabilem peragravit, et in præcipuis ejus regionibus retia predicationis expanderunt, atque ita fidem per totum orbem disseminarunt. Magnum sane miraculum fuit, quo sacerdotes tubis clangentes, dejecerunt muros Jericho, Jos. VI. sed quanto majus istud, quo duodecim apostoli tubæ evangelicæ preconiis prostraverunt idola et idolorum fana per totum fere orbem? Mira et plusquam humana fortitudo Samsonis fuit, qua mille Philisthæos cecidi maxilla asini, Judic. XV. at vero Christus ore discipulorum suorum inerudito et pene asinino, quot hominum, et quidem efferatorum ac barbarorum veluti Seytharum anthropophagerum et similibus, myriades salubriter prostravit ad pietatem, gratiam et salutem! Mirandum prorsus fuit, quod tracentos milites Gedeonis innumeros fugarent ac funderent Madianitas non aliis armis, quam contractis inter se lagenulis fictilibus, unde lampades effulserunt, et tubarum sonitu, Judic. VII. majus longe, quod apostoli lucernis miraculorum et tubis predicationum fugarint idololatrias, totum orbem obsidentes: non cædendo hostium corpora, sed frangendo propria per atrocissimorum suppliciorum tolerantiam. Neque solum morientes, verum etiam mortui ceperunt homines vivos, partim miraculis, partim scriptis suis, partim vitæ exemplis, quæ reliquere posteris. Unde S. Augustinus, in evang. Joan. ser. LIX. ait: *Leguntur modo verbapiscatorum et colla subduntur oratorum; et S. Chrys-*

ost. ser. de S. Andrea exclamat: «Quis unquam viliit a mortuis piscatoribus viventes homines tamquam pisces capi? O magnam crucifixi potentiam! O divinæ dignitatis prestantiam! O apostolorum summa beneficia!

V. Si spectemus stipendium et viaticum illis promissum. Viaticum erat hoc: *Nolite possidere aurum neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris, neque peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta, etc.* Matth. X. De quo Tertull. I. IV. contra Marcion. c. XXI. «Quis, inquit hoc mandasset, nisi qui corvos alit, et flores vestit? Quid reliquerunt Apostoli? Qui Christo dederunt? Quid magni Petrus dedit? inquit Chrysost. hom. VII. in epist. ad Rom. Nonne rete contractum et calamum et hamum solum? Sed tamen terræ illi universæ domos Deus aperuit, et terram et mare expandit, ac nemo non illum in suas ædes vocavit, atque adeo omnia bona sua a se dividita ad illius pedes deferebant,» Act. IV. et in epist. ad Gal. IV. «Quem enim ut angelum civitates suscipiebant, pro quo oculos eruditos dedissent (ad Galat. IV.) pros quo suam cervicem subiecissent; quomodo hic non omnia quæ illorum erant, possidebant?» Sic ille. Quin etiam in illa sua paupertate, episcopatus fundarunt, Ecclesias ædificarunt, pauperes aluerunt, ut vero possent dicere: *Sicut egentes, multos autem locupletantes; tamquam nihil habentes et omnia possidentes,* II. Cor. VI. Stipendium et merces in fine laborum danda, erat crux, sera, cultri, gladius, lapides, perticæ, lanceæ, fervens oleum, et similia. Poterant hoc apostoli facile divinare: non enim pari periculo capiuntur pisces ac homines; sed hi multo periculosius: resistunt cum capiuntur, captivos cædunt, vulnerant, mactant, quod non faciunt pisces; at hoc nihil apostolos terruit, quin potius illorum ludus et delectatio fuit, quo nimirum Christo magistro et Domino suo conformes fierent, uti videre est in S. Andrea in primis, crucem ita salutante ac si thronus gloriæ ejus, non instrumentum mortis esset.

VI. Si dignitatem, ad quam tam humili loco eVecti sunt. Dei De ipsis enim dicitur Psal. XLIV. *Constitues pro principes super omnem terram:* et Psal. XLVI. *Principes populorum congregati sunt cum Deo Abraham; quoniam dii fortes terræ vehementer elevati sunt;* et Psal. XXXVIII. *Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui, Deus, nimis confortatus est principatus eorum.* Nimis ait, quia de cælo superiorem inter sanctos non habent nisi Christum regem ejusque sanctissimam matrem. Hi sunt, qui cum ipso in judicio sessuri sunt super sedes duodecim orbem judicaturi. Hi sunt, quibus potentissimi reges supplices facti sunt, in quorum

honorem Constantinus M. diademate deposito sumptoque ligone, terram eruit et duodecim terræ cophinos humeris suis extulit, basilicam eis structurus. *Eundem magno se honore affecturus existimavit ejus filius.* Constantinus, inquit S. Chrysost. hom. XXVI. in poster. ad Cor. *si in vestibulis collocaret piscatores. Et quod in regibus janitores sunt regibus, id in sepulcro reges sunt piscatoribus. Et illi quidem, velut ipsius loci domini inlus habitant: hi vero tamquam accolæ ac vicini, præclare secum agi putant, si janua ipsis assignetur vestibularis.* Reges hujus sæculi magni sunt, dum vivunt, post mortem nesciuntur. At apostoli in vita nulli erant; post mortem et sciuntur, et in summo honore sunt. In eorumdem honorem viguit olim consuetudo, sortito unum ex apostolis, deligendi sibi in patronum, quod testatur præter Bonfinium, de rebus Hung. dec. II. lib. VII. Cæsarius Heisterbacensis, lib. VII. miraculor. c. LVI, his verbis: «Consuetudo est maximæ provincie nostræ matronis, ut tali forte specialem sibi apostolum eligant; in duodecim candelis duodecim apostolorum nomina, singula in singulis scribuntur, quæ a sacerdote benedictæ, altari simul imponuntur: accedens vero femina, cujus nomen per candelam extrahit, illi plus cæteris et honoris et obsequii impendit. In hunc modum cum quædam matrona Sanctum Andream extraxisset, et non ei placuisset, reposita candela, alium habere voluit, sed iterum idem occurrit: quid plura? Tandem traxit sibi placentem; cui cum multum exhibuisset obsequii, per omnes dies vitæ, et ad extrema perveniens esset moritura, non illum, sed beatum Andream assistere vidit. En inquit, ego sum ille despectus Andreas. Ex quo colligitur, quod nonnunquam sancti etiam ultro se ingerunt humanæ devotionis. Pergit idem auctor cap. sequent. » Quantum beatus iste apostolus se invocantibus succurrere valeat, sequens narratio declarat. Erant quo juvenes juxta ecclesiam Sancti Andree habitantes, qui pro suis mercatoribus remotas provincias petere selebant. Tempore quodam cum profecturi essent in Norvegiam, frater Reinerus monachus noster, tunc canonicus S. Andree in Colonia, sicut ipse mihi retulit, quinque solidos illis dedit ut eis compararent pellem ursi albam, quales regio illis gignit, ad substratorium coram altari Sancti Andree; quod cum fecissent et revertenterent, tanta orta est in mari tempestas, ut omnes mitteret in desperationem. Hoc ideo factum reor, ut Dominus apostoli sui virtutem ostenderet. Recordati vero prædicti juvenes pellis S. Andree, contra procellas intumescentes, ventosque frementes illam cum fide levaverunt: et ecce Dominus, apo-

stoli sui meritis, quem de mari vocati, suffragantibus, imperavit mari et ventis et facta est in ipsa hora tranquillitas magna, ut omnes qui in navi erant mirarentur. Revertentes vero Coloniā denarios reddiderunt, pellem beato Andreae gratis offerentes, collati non immemores benefi-

cii. » Ita ille. Quid hac re mirabilius? Pellis ursi, ad cultum S. Andreae destinata et coempta, mare compescit: quid non faciet ipse apostolus? Hunc ergo et nos, auditores; veneremur et invocemus in nostris necessitatibus.

IN FESTO SANCTI NICOLAI.

EVANGELIUM. MATH. XXV.

In illo tempore, dixit Jesus discipulis parabolam hanc: Homo quidam peregre proficiscens vocavit servos suos, et tradidit illis bona sua. Et uni dedit quinque talenta, alii autem duo, alii vero unum, unicuique secundum propriam virtutem. Et profectus est statim. Abiit autem qui quinque talenta acceperat et operatus est in eis, et lucratus est alia quinque. Similiter, et qui duo acceperat, lucratus est alia duo. Qui autem unam acceperat abiens, fodit in terram, et abscondit pecuniam domini sui. Post multum vero temporis venit dominus servorum illorum, et posuit rationem cum eis. Et accedens qui quinque talenta acceperat, obtulit alia quinque talenta, dicens: Domine, quinque talenta tradidisti mihi, ecce alia quinque talenta, superlucratus sum. Ait illi dominus ejus: Euge: serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium domini tui. Accessit autem et qui duo talenta acceperat, et ait: Domine, duo talenta tradidisti mihi, ecce alia duo superlucratus sum. Ait illi dominus ejus: Euge: serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium domini tui. Accedens autem et qui unum talentum acceperat, ait: Domine, scio quia homo durus es, metis ubi non seminasti et congregas ubi non sparsisti: et timens abii, et abscondi talentum tuum in terra. Ecce habes quod tuum est. Respondes autem dominus ejus dixit ei: Serve male et piger, sciebas, quia meto ubi non semino et congrego ubi non sparsi: oportuit ergo te committere pecuniam meam nummulariis et veniens ego recepissem utique quod meum est cum usura. Tollite itaque ab eo talentum, et date ei qui habet decem talenta. Omni enim habenti dabitur, et abundabit: ei autem qui non habet, et quod videtur habere, auferetur ab eo. Et inutilem servum eijcite in tenebras exteriores: illic erit fletus et stridor dentium.

CONCIONES.

- I. Quinque talenta ad meritum exercenda et in Ecclesia dispensanda, dispensata a Sancto Nicolao: quinam defodiant.
- II. Cur instituendum aliquando iudicium universale.
- III. Unumquemque suis talentis contentum esse debere.
- IV. Quid debeant parentes liberis.
- V. Quid debeant liberi parentibus.
- VI. Usura damnatur.

- VII. Documenta evangelica.
- VIII. Mystera evangelii.

CONCIONES AUCTARIUM.

- I. Vitra pernicioso qui parentes imponant filiis suis.
- II. Nicolaus quomodo victor populi fuerit.
- III. Virga tribulationis honesta, utilis, jucunda.
- IV. Quis fidelis Dei servus.
- V. Quid non imponere debeant liberis parentes.